



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 6. Admiranda in Andalusiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

In cacumine montis *Stelle* lacus, in quo s^æpè fragmenta nauium reperiuntur, cùm tamen à mari distet plusquam 12. leucis. Idem quoque narratur de Monte prope Aquas Flauias *Chaves*. *Eusebius Nierembergius.*

In oppido *Villanova*, visitur fons oriens, & occidens quotannis. Oritur Kal. Maij, occidit Kal. Nouembris. Quod omnibus compertum est. *Idem Eusebius.*

In *Lusitania* sal purpureum nascitur. Strabo 4. Geog. Quod dūrare ait Nonius, addit tamen tritum candescere. *Nonnius.*

Scalabisci nunc *Santarem*, in Monasterio Patrum Dominicorum imago pueri Iesu Christi crescit, quare nouæ thecæ ei curandæ sunt. Hæc est imago cui pueri duo offerebant sua ientacula quos erudiebat Bernardus de Morlans vir piissimus. Moniti à magistro ut rogarent Christum, eos exciperet cœnâ in domo patris sui: cùm fecisset sacrum magister die Ascensionis flexis genibus omnes expirarunt blandè, miraculis post obitum clari. *Nierembergius.*

In eādem vrbe cùm fideiussorem promissi matrimonij mulier Christum in Cruce fixum accepisset, virum contradicentem cum iudice in Ecclesiam traxit, rogatusque de rei veritate Crucifixus annuit, & utramque manum clavis exsoluit. Quo in statu ha^tenus persevererat & colitur. *Idem.*

Ibidem seruatur hostia Eucharistica mirabilis: in hâc enim videtur Christus varia specie, nunc infans, nunc patiens, nunc resurgens, imò diuersimodè à multis simul spectantibus. *Idem Eusebius.*

§. 6. In Andalusia.

MAXILVÆ (quæ nunc *Mancuilla* dicitur) lateres fiunt, qui exsiccati aquis nullatenus submerguntur. Rationem reddit Dalecampius, quia ex terrâ pumicosa constant. *Plinius lib. 35. cap. 14.*

In *Beticâ*, extra s^æpe cuniculorum gemina reperiuntur, *Plinius lib. 12. cap. 33.* quod ætate quoque suâ videri in Andalusia affirmat *Nierembergius.*

Ibidem non procul ab vrbe *Guadaiara* lacus futuram præcinit tempestatem. Enim uero ubi illa imminet, horrendis mugitibus perstrepit, qui s^æpe ad duodeuiginti millia passuum exaudiuntur. *Idem.*

In *Gadibus* Insula, fons suauissimus, contrario effectu, astu exundante deficit, impletur autem deficiente. *Polybius & Strabo lib. 3.*

Ibidem quoque fons aquæ salubris, & iucundæ, qui secundum maris accessum & recessum, intumescit & decrescit. *Plinius l. 2.*

In eâdem insulâ nunc planta nascitur, quam vbi semel hominis manus perfriuerit, areficit. *Ioan. Eusebius.*

Olim hîc quoque arbor, cuius rami terræ infigebantur, ex his fractis lac erumpet, ex radice humor minio similis. *Strabo lib. 3. Geog.*

Cordubæ Fratrum Prædicatorum cœnobium est, in quo campagna sponte pulsatur quotiescumq; Religiosus aliquis huius monasterij, aut vir aliquis in ordine illustris propediem moriturus est. *Io. Lupus Episc. Monopoliensis.*

§. 7. In Regno Granatae.

Ad oppidum *Antiquarium* fons tantæ potestatis, ut saxa dissoluat, imò & calculos in vesicis ex eo bibentium; ideoque dicitur *Petra-Fons Antiquarius. Nierembergius.*

§. 8. In Murcia.

CARAVACÆ Vulgo *S. Crux de Caravaca*, seruatur *Crux* è celo delapsa sacerdoti sacrafacturo coram Regulo Mauro. Vrbs illa crebris tempestatibus quatitur; vnicum remedium offerre nimbis horrisonis Crucem. Turris autem in quâ *Crux* illa seruatur totâ vrbe concussâ non mouetur: inde Cruces toto orbe celebres & fulminum amuleta. *Ioan. Nierembergius.*

Ad *Carthaginem Nouam* nascebatur olim herba (& iam nascitur) ex quâ indigenæ vestes, calceos, casas, & ignem conficiunt, *sparsum* nominatur, animalibus noxiom, nisi eius tantum cacumen decerpant; colligitur manibus armatis. *Plinius lib. 19. cap. 2.*

Circumposita autem regio adeò olim fertilis, ut hordeum mense Aprili meteretur, quare hîc plerumque duplex messis. *Idem lib. 18. cap. 7.*